

Dirk SACRE*

PARERGA PALEARIANA

1.

DE AONIO PALEARIO ET BASILIO AMERBACHIO

Anno 1562, cum et Bonifacius pater die 24 aut 25 mensis Aprilis morte extinctus esset, mox et Esther Rüd uxor filiolusque Bonifacius praematuris mortibus abrepti essent, Basilius Amerbachius, triplici hac calamitate obrutus, aliquid fortasse solacii in ea consolatione invenit quam ad eum Aonius Palearius amicus idemque saeculi XVIⁱ lumen litterarium, senariis exaratam dedit. Quod carmen, ab Amerbachio die 5 mensis Septembris anni 1562 acceptum et inde in codice Basileensi servatum, truncatum adhuc ad nostram pervenit aetatem, quinque versibus, qui in fine carminis leguntur, ab editoribus nescimus quo modo omissis.

Floreat hac tempestate Bonifacius laudis honore; nam, patris instar qui in studiorum universitate Basileensi ius docuerat, Bononiam Patavium Tubingam Avaricum se contulerat, iuris prudentiae ut studeret, studiisque feliciter peractis, mox in eodem Athenaeo, in quo et pater, praceptor evasit.

Quid autem Aonius? Aonius Palearius, anno 1504(?) Verulis natus, Romam primum adiit in urbem Leonis X pontificatus splendore ornatam; inde Patavium se contulit ut Lazarum Bonamicum et Lampridium coram audiret de auctoribus Graecis disputantem; doctores item Patavinorum de animorum immortalitate disserentes adiit ut nosceret quid sentirent, Pomponiatum laudarent an vituperarent. Senis inde, in Bellantium familiam nobilem acceptus, privatim Graece et Latine docuit. Qua in urbe, cum a publice profitendi munere arceretur, versari diutius noluit. Lucae itaque ab anno 1546 usque ad 1554

* Aspirant Nationaal Fonds voor Wetenschappelijk Onderzoek.

Latine docebat; ab anno 1555 denique usque ad 1568 apud Mediolanenses iuvenes erudiebat.

Musarum ille affectus amore, ut Latinus Latinus scripsit:

Aonius qui nunc es, eras Antonius olim;
Aonii Aonidum dat tibi nomen amor,

praeclera posteritati reliquit monumenta. Ac primum quidem tres isti libri *De animorum immortalitate* sunt laudandi, heroico conscripti metro, exeunte anno 1535 publici iuris facti et saeculo XVI octies ex ordine excusi. Quos, ut alios praetermittam, Bembus Sadoletus Sfondratus Bonamicus Flaminius, Aonii familiares, laudibus extulerunt, nec non et Victorius, Pigna, Scaliger. In primis enim numerandus est eorum, Lucretium qui Lucretiano stilo refutaverint. “Aonii materia difficultis eademque illustris” (haec Scaliger in libro c.t. *Hypercriticus*) de Deo, animorum immortalitate ac praemiis poenisque post mortem agit, argumentis e Stoicis, Aristotelicis et Neoplatonicis sumptis. Quid plura? Illi libri de immortalitate immortalem Aonio gloriam pepererunt.

Extant et poemata aliquot Mediolani composita. At heu! carmen de rebus Ecclesiae Apostolicae, quod se Aonius anno 1539 aggressum esse scripsit, edax tempus delevit.

Orationes deinde perelegantes atque absolutas conscripsit, ex quâs *Orationem pro se ipso*, anno 1543 conscriptam, Senis cum haereseos primum insimulatus esset, et *Orationem in Murenam*, ab Andrea Alciato in caelum sublatam, nominemus. Quod ad cetera opera eius Latina pertinet, epistolarum etiam nobis tradidit libros IV et eos Ciceronem redolentes.

De opusculis Italice scriptis non est cur agamus quippe quae Palearius paulo neglegentius tractaverit neque inter opera omnia referenda curaverit.

Siquidem Aonius noster hisce temporibus, quâs doctissimi viri de vita eius ac factis egerint, non ab oblivione vindicandus esse videtur, ipsa tamen opuscula situ iacent. Nam hoc tantum viri docti spectant, ut quantopere haereticus fuerit Verulanus demonstrent. Renovandae enim ecclesiae studuit Aonius quam qui obstinatissime... suo autem periculo. Nam cum anno 1534 ad Erasmus et anno 1544 ad Lutherum Calvinum Bucerum Melanchthonem de renovanda ecclesia deque convocando concilio et libero et universaliter litteras dedisset, cum celeberrimam illam *Actionem in pontifices Romanos eorumque asseclas*

composuisset, cumque haud ita se gessisset ut Romanae ecclesiae favere videretur, fieri non potuit quin Inquisitioni, “sicæ in omnes bonos districtæ”, traderetur. Itaque Senis primum haereseos accusatus, amicorum ope Sadoleti et Bembi praesulum absolutus est. Mediolani inde insimulatus est, Romamque venire iussus, die 3 mensis Iulii anni 1570 suppicio traditus est.

Basilius Amerbachius et Aonius Palearius, cur inter se familiaritatis nodis vinci essent, complures erant causæ. Nam Caelio Secundo Curione instigante, anno circiter 1550 epistolare commercium inter Bonifacium, Basilii patrem, et Aonium esse coepit—epistolasque Orellium mercatorem eundemque tabellarium Aonio vel Bonifacio tradidisse novimus. Itaque non est quod miremur Bonifacium, cuius filius, praceptoris Curionis iussu, in Etruriam esset profecturus studiorum causa, a Paleario poposcisse ut eruditio ac bono viro commendaretur Basilius. Aonius igitur mense Aprili anni 1556 Petro Victorio, quo nemo doctior Florentiae hisce diebus extitit, litteras commendaticias mittere : “Basilius Amerbachius summa generis et animi nobilitate iuvenis liberaliter educatus et ingenuis disciplinis optime institutus eo consilio proximis superioribus annis missus est in Italiam a patre, clarissimo viro, ut...”¹. Hisce forsitan mensibus Aonius et Basilius valde iuvenis (natus erat anno 1533) primum congressi et collocuti sunt. Iungebat eos procul dubio litterarum amor. Adde etiam iuris studia : de oratione Aonii, quam in Murenam scriptam esse memoravimus, certe disseruere, disputavere. Adde etiam quod uterque numismata antiqua fovebat; non enim ignarus erat huius rei Aonius, qui de Bernardino card. Maphaeo mense Martio anni 1541 ad Faustum Bellantem scripserset : “... et illustrem explanationem rerum, quam ex notis numismatum antiquissimorum mihi recitat. Ea quoniam puris et electis verbis composita est, numerosa et multiplex, ita me delectat, ut saepe ad multam noctem lectionem producamus” (*Ep.*, III, 7).

Nec non et conjectura colligere licet Aonium ex Basilio sciscitatum esse quemadmodum renovata fides Basileae vigeret. Nam in dies difficilior erat commeatus, magis in dies animadvertebatur in haereticos, ut contagium illud quod nuncupabatur inhiberetur.

Id utcumque erat, Aonius Basilio familiarissime uti cooperat. Basilius autem, postquam Basileam revertit, mox professor creatus est. Anno

¹ Videsis litteras Amerbachianas, *infra*, pp. 214-215.

1561 uxorem duxit Esther Rüd, quae filiolum progenuit Bonifacium.
At eheu! et mater et filius mox disperierunt.

Quare amici sui ex animo Aonius dolorem consolari cogebatur.
Cuius consolationis res ipsa Christus est et religio. Quindecim circiter
annis ante M. Casali familiari litteras Luca dederat, quas ille uxori
Collem tradendas curaret; quibus subiunxerat versiculos proiecta nocte
actos, cum a Casale cognovisset coniugem gravidam periclitari eamque
a vivis discessisse putaret :

Ni mihi spem Christus faceret quem, vita, secuta es,
non possem abrepto vivere coniugio :
Ille mihi te olim reddituram in luminis oras
pollicitus, dulci pascit amorem animum.
Interea Aonium venientem cursibus ad te
exspecta campis, uxor, in Elysiis².

Tunc procul dubio casum istum recordabatur. Accedit quod et ipse
senescebat et corporis incommodis vexabatur³. Neque ignorabat sicam,
quam memoravimus, seu gladium Inquisitionis cervicibus impendere :
“Cum eo consilio domo exissem, ut emitterem aliquando vocem dignam
homine Christiano, non eram nescius quae pericula essent adeunda,
qui suscipiendi labores, in quas angustias esset veniendum. Neque
enim parvi aut obscuri erant terrores isti pontificii...”⁴. Quare et
Aonius ipse mortem meditabatur.

Nunc redeamus ad consolationem. En tibi, care lector, carmen illud
consolatorium :

Ad Basilium Amerbachium(*)

O Basili, quid ego audio? Telis te omnibus unum

(*) Orthographiae normas adhibemus hodiernas. Contulimus textus editionum Amstelodamensis pp. 648-650 et Ienensis pp. 719-721, una cum codice manu scripto Universitas Basileensis (num. G.II, 31 insignito, ff. 366^r-367^v).
Tit. Ad Basilium Amerbachium *cod.*, Aonius Palearius S.D. *edd.*

² Cf. *Ep.*, IV, 25: “Ipse tertia fere vigilia, ut a serva accepimus, paginam et atramentum cum calamo sibi adferri iussit, quasi aliquid scripturus. Cum partem nullam noctis quievisset, paulo ante lucem in superius conclave lectum exportari iussit in quo est imago uxoris suae (...) Dum alia quaereremus, incidimus in pagellam, in qua erant hi versus, vacillantibus litteris. Quos ad vos mittimus (...)”.

³ Cf. B. Fontana, “Sommario del processo di Aonio Paleario in causa di eresia”, *Archivio della R. soc. Romana di storia patria*, 19 (1896), 151-175.

⁴ Aonius Palearius, *Actio* (...), in praefatione.

fortunae expositum tria vulnera tanta tulisse
 fortiter et clipeum numquam amisisse nec hastam
 abiecisse gravi perculsum saepe dolore.
 Morte obita genitor simul et lectissima coniux 5
 quique tibi vita iucundior esse solebat
 filius his paucis te deseruere diebus!
 At non deseruit patiens prudentia fati,
 at non deseruit divum patientia Christus
 et consolator divinae spiritus aurae. 10
 His tu praesidiis vitam ducis sapienter
 nec plus posse putas quam sit mortalibus aegris
 concessum, quando divinae obsistere menti
 est hominis stolidi, qui hominem se nesciat esse.
 Cum primum in lucem, in tenebras et claustra venimus 15
 carceris horrendi potius, non attinet ad nos
 nasci velle; necesse fuit descendere ab alvo
 praecipitem matris maturo tempore partus.
 Sic cum iam tempus mortalia solvere vincla,
 nulla mora in nobis imus, quoniam ire necesse est 20
 adque diem adque horam et punctum discedere vita.
 Tum frustra longa confecti aetate parentes
 et circum nati, agnati et peramabilis uxor
 orarint ut pro pietate supersedeamus;
 non tum sescentae solidi ex adamante catenae 25
 nos teneant roburque virum viresque leonum.
 Sed tu forte sacris tecum scriptis agier vis,
 quae veri cupidos caelesti nectare pascunt.
 Unigena ex adyto missus stellantis Olympi
 deque sinu patris simul est homo natus et inter 30
 mortales artus gessit moribundaque membra,
 fugit ad Aegyptum et septemplicis ostia Nili,
 quod non illa essent matura tempora mortis.
 Ad Solymos rediens saepe est vexatus inique
 pontificum patrumque dolo populique furentis. 35
 Ah! quoties illum fundentem oracula voce

2 fortunae *cod.*, fortuna *edd.*

7 deseruere *cod.*, deseruisse *edd.*

et nova magnarum edentem miracula rerum,
aut saxis petere aut voluerunt perdere ferro!
Nec potuere tamen, quod non sua venerat hora.
Ille idem fatale suae cum tempus adesset 40
iam necis et spinae, calami virgaeque manerent
erectumque esset iam lignum, unde illa salutis
alta laboranti crux bracchia panderet orbi,
scriptor honoratus testisque haec verba reponit :
“Cum sciret venisse horam divinus Iesus, 45
migret ut ad patrem magni trans moenia mundi,
‘Venit’, ait, ‘pater, hora tuum super aethera natum
ut tollas, moriens tandem ut tua natus imago
extollat patris caeli super ardua nomen’.”
Si praescripta fuit nato irreparabilis hora, 50
non par est horam praescriptam credere servis,
qui nulla dominum superant ex parte potentem
sed longe rebus sunt omnibus inferiores.
Ille etiam egressus cum divino comitatu, 55
horrida cum mors versaretur ob os oculosque,
cantando letum et crudelia funera adivit,
pressa pedum ut nobis essent vestigia plantis,
si quando ire via iubeat deus aspera quae sit
arduaque et passim occurrentibus invia monstris.
Per quam cum subiit triste et miserabile fatum 60
incessit pastor populorum atque omnia vicit.
Unde via in caelum nostris est facta per ignes,
per lapidum nimbos, per aena undantia flammis
perque inventa omnes hominum superantia casus.
Quodsi sunt aliis per frigora perque calores 65
naturae concessi obitus reditusque quieti
ad superos, tristi quid nos suspiria corde
fundimus et fatum veluti indignamur acerbum?
Experti toties mortalia novimus esse
omnia amaritie aspersa atque addicta labori, 70
infirma, incerta inque horam variantia formam;

43 panderet *cod.*, penderet *edd.*

59 *invia cod.*, *in via (contra metrum) edd.*

62 *via cod.*, *viam edd.*

et dubitamus adhuc venienti tendere dextram;
 et te complecti, mors, o placidissima rerum?
 Huc nos ira Dei prima ob delicta parentis
 detrusit miseros. Quae nos dementia cepit,
 ut longam exsilii cupiamus pendere poenam,
 qua nos exemit moriens qui vivere semper
 dignus erat, ne in morte malum quisquam esse putasset,
 a qua perpetuae venissent commoda vitae? 75

Atque utinam, ut patria ad caelum virtute tetendit,
 regna paraturus nobis sedesque beatas,
 ille decus superum, si nos sublime feramur,
 et quaecumque eius nobis sunt parta labore
 inspicere et sanctas liceat cognoscere curas,
 quas nostri gerit ut patrem compellat amanter,
 utraque perpetuo caelestia brachia tendens,
 promissum ut caris mittat solamen amicis;
 quod tibi, mi Basili, cognovi hoc tempore adesse.
 Qui tantos placide potuisti ferre dolores,
 gratulor. O! videas alte quam ascenderis istuc
 ob factum et quam tute viceris ipse ferendo. 80

90

Aonius Palearius S.D.

(*Inscriptio cursualis* :) Basilio Amerbachio Bonifacii
 Basileae

(*Notavit alia manus* :) 5 septem. Anno. 62

ADNOTATIUNCULAE

- 1) *omnibus unum* : verba oxymora quae Aonius Vergilium imitatus saepius adhibuit :
- Aen.*, 10,201 : Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum.
De an. imm., 1,365-366 : quaeque suis ducibus; vires tamen omnibus unum sufficere atque illum rebus satis omnibus unum.
- Alia etiam verba oxymora praeamavit Palearius, e.g.
De an. imm., 2,187-188 : Quaenam comprehendere vires
 exiguae immensum possent?

75 cepit corredi, coepit cod. edd.

87-91 om. edd.

Subscript. om. edd. qui neque inscriptionem cursualem neque notam add.

- 1-2) Repetitae *t* litterae non discrepant cum fortunae atrocitate ac duritia.
- 3-4) Cf. *De an. imm.*, 3,175: Hostis habes: etiam captus non abicit hastas.
- 5) *morte obita*: cf. *Lucr.*, 1,235: morte obita, quorum tellus amplectitur ossa.
Aen., 10,641: morte obita qualis fama est volitare figuræ.
De an. imm., 2,506: morte obita divum tandem ad subsellia regis.
- lectissima coniux*: cf. Aonii *Dis Manibus Sicinii Pepuli*, 7: cum te cara parens,
cum te lectissima coniux.
- 6) *esse solebat*: verba Ovidiana (*Met.*, 11,422; 13,441; *Ep. ex Ponto*, 3,3,13).
- 8-9) *at non deseruit*: repetitio Palearii propria esse videtur; cf.
De an. imm., 2,169-172: Adde etiam quae sunt ipsis *pugnantia rebus*
haud obstant animis dum quis putat **esse** calo-
[rem
et frigus putet **esse**; potest comprehendere utrum-
[que
et *pugnent* quamvis, animo comprensa tene-
[mus.
De an. imm., 1,27-29: Nec minus ecquæ animas sedes, quæ praemia
[vitæ
quemque bonum tandem maneant, quas pendere
[poenas
conveniat sontes...
3,1-3: Nunc animis quæ sit sedes, quæ praemia vitae
quemque bonum tandem maneant, quas pendere
[poenas
conveniat sontes...
Qua de repetitione ita est locutus Marcus Hieronymus Vida, libro tertio
de arte poetica, vv. 143-147 (ed. 1527):
Quid sequear ulterius, quanta dulcedine captas
detineant aures, vocem cum rursus eandem
ingeminant, modo non verborum cogat egestas?
Pan etiam Arcadia neget hoc si iudice praesens,
Pan, etiam Arcadia dicam te iudice vanum.
- 12) *mortalibus aegris*: hanc locutionem Lucretianam et Vergilianam saepe est
imitatus Aonius, e.g.
De an. imm., 1,370: Nimirum exiguae vires mortalibus aegris.
De an. imm., 1,446: In formas treis exponit mortalibus aegris.
- 15) *lucem, tenebris*: verba oxymora.
- 17) *velle, necesse fuit*: verba oxymora.
- 18) cf. v. 33: maturæ tempora mortis.
cf. *De an. imm.*, 1,477-478: et quos occultaverat alvo
edit maturos longo post tempore foetus.
- 19) cf. Sedulii *Carm. Pasch.*, 2,272: Nectimur alterius si solvere vincla negemus.
- 20) *imus*: cf. v. 20, *ire*.
necesse est: cf. v. 17, *necesse fuit*.
- 21) *discedere vita*: hanc locutionem in poesi rarius offendimus pro *excedere*;
cf. etiam *De an. imm.*, 2,504: Norunt, ut vita sit denique discedendum.

- 22) cf. *Aen.*, 4,599 : et quem subiisse umeris confectum aetate parentem.
De an. imm., 2,229-230 : non dulcis coniux teneat, non maxima nati
cura prece aut longa confecti aetate parentes.
De an. imm., 3,432 : ... dura iam fessi aetate parentes.
- 23) *peramabilis uxor* : vox *peramabilis* ἄπαξ est, nescio an ab Aonio conflata.
- 25) cf. *Aen.*, 6,552 : Porta adversa ingens solidoque adamante columnae.
catenae : cf. *supra*; *vincula*, *claustra*, *carceris*.
- 26) Tricola hoc in poematio conspicua sunt :
2-3 : te tulisse / et clipeum amisisse / nec abiecssisse hastam
5-6 : genitor / lectissima coniux / filius
8-10 : prudentia / patientia / spiritus consolator
15 : lucem / tenebras / claustra
21 : ad diem / horam / punctum
25-26 : catenae / robur / vires
35 : pontificum / patrum / populique furentis
41 : spinae / calami / virgæ
40-43 : cum tempus adesset / spinae manerent / lignum erectum esset
58-59 : aspera / ardua / invia.
Tricola nobis etiam *De an. imm.* carmen legentibus saepissime obviam
veniere, e.g.:
2,385-386 : vis et naturae partes et magna parentis
munera et ingentes terrae meminisse labores?
3,552 : Iam rosa, iam violæ, iam purpurei narcissi.
- 29) cf. *De an. imm.*, 2,301 : sidera suadebunt, ut rex stellantis Olympi.
- 31) *moribundaque membra* : eam locutionem saepe e Lucretio deprompsit Ao-
nius; e.g.
De an. imm., 1,451 : Terrenos capiunt artus moribundaque membra.
De an. imm., 1,538 : Quod si mortales artus moribundaque membra.
- 37) *miracula rerum* : cf. Verg., *Georg.*, 4,441 (Omnia transformat sese in miracula
rerum), praeterea Iuvencum, Prudentium, Venantium Fortunatum et Al-
cuinum.
- 44) *sc. evangeliorum scriptores*.
- 46) *migret* : (post *venisse sciret*) licentia in temporum consecutione.
- 48) *tollas* : (post *vénit*) licentia in temporum consecutione.
- 50-51) Cf. Sedulii *Carmen Paschale*, 2,15 : Cursibus extremæ sors irreparabilis
horæ.
Cf. *De an. imm.*, 3,422-423 : Esto; faud fas servos regi præscribere, regi
parendum : fuerint quaecumque ea fata,
[feremus.]
- 51) *horam praescriptam* : cf. v. 50, *praescripta* ... *hora*. Iteratio Palearii propria.
- 56) Cf. Verg., *Ecl.*, 5,20: Extinctum crudeli funere Daphnī ...
- 57) Cf. Lucr., 3,4: Ficta pedum pono pressis vestigia signis.
Aen., 11,573 : Utque pedum primis infans vestigia plantis.
- 61) *omnia vicit* : cf. *Georg.*, 1,145 : ... labor omnia vicit.
- 62) Pulcherrimum tetracolum : per ignes
per lapidum nimbos
per aena undantia flammis
perque inventa omnes hominum superantia casus.

- 63) Cf. *Aen.*, 7,463: virgea suggestur costis undantis aeni.
- 70) Frequentes elisiones Lucretianae mihi esse videntur; cfr. e.g. *Lucr.*, 4,1028:
Quare etiam atque etiam, ut dico, est communi voluptas.
- 75) *dementia cepit*: cf. *Ecl.*, 6,47: A virgo infelix, quae te dementia cepit?
- 76) Cf. *De an. imm.*, 3,2: quemque bonum tandem maneant, quas pendere
poenas
Cf. etiam *Aen.*, 10,669; Ovidii *Fast.*, 3,845, etc.
cupiamus pendere poenas: verba oxymora.
- 77) *moriens qui vivere semper*: verba oxymora.
- 79) *commoda vitae*: cf. *Lucr.*, 3,2: qui primus potuisti, inlustrans commoda
[vitae.
De an. imm., 3,72: sanctum hominum genus hoc, verae
[qui ad commoda vitae.
Cf. praeterea Ovidii *Pont.*, 1,8,29; Valerii Flacci *Arg.*, 4,86, etc.
- 80) vide notam ad v. 70.
- 81) *sedesque beatas*: cf. *Lucr.*, 3,18: Apparet divom numen sedesque quietae.
De an. imm., 1,217: Iam mihi caelestum numen sedesque
[beatae.
Cf. etiam *Aen.*, 6,639; *Sil.*, 4,46; Paul. Nol., *Carm.*, 33,72, etc.
- 84) *cognoscere curas*: cf. *Georg.*, 1,177: Ni refugis tenuisque piget cognoscere
curas.
- 86) *bracchia tendens*: locus communis; cf. e.g. Vergilium in *Georgicis* (2,296),
Ovidium in *Metamorphosibus*, *Fastis*, *Amoribus* atque *Epistulis ex Ponto*
Sedulumque in *Carmine Paschali*.
- 88) Cf. *Lucr.*, 1,337: officere atque obstare, id in omni tempore adasset.
- 89) Cf. *Lucr.*, 3,987: Non tamen aeternum potuit perferre dolorem.
Aen., 6,464: Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.

* * *

Carmen non a mortuo, ut moris erat, incipit⁵, sed superstitem
Basilium laudibus effert, quippe qui pro sua fortitudine, quasi miles
quidam fuisse, rebus perditis, non animo desponderit. Fortitudo quid
sibi vellet, bene disseruit Aonius in oratione sua decima quae *De
fortitudine Ad patres conscriptos Reipublicae Lucensis inscribitur*⁶:

“Est fortitudo virtus animi egregii atque excellentis quae nisi quod
honestum sit, nihil rectum putat. Ea veluti singulare munus a Diis
immortalibus hominum generi est data (...) Laudanda imprimis igitur
fortitudo est, ob tolerantiam egregiam rerum difficultum, quae neque
egestatem, neque exilium, neque mortem timet, nihil denique praeter
turpidinem (...) Quam ob rem vir fortis mentis constantia pulcherrime
fert secundam et adversam fortunam, quicquid contingat, modo vacet

⁵ Cf. *Dis Manibus Sicinii Pepuli* quod inscribitur carmen.

⁶ Ed. Amstelodamensis (1696), pp. 150-159.

culpa : neque dolet, ut ceteri, neque laetatur (...) Vidistis vos aliquando civem vestrum (nolo nominare, ne dum de fortitudine dico, faciam dolorem); is, cum ad mortem mitteretur, hac virtute praeditus, ibat fronde ac vultu bellissimis, quasi e carcere evolasset. Pone uxor erat, lectissima femina, et gravissima : ea dolore credo oppressa, neque vocem neque oculos tollebat”⁷.

Inde ubi Basilii fortitudo ab Aonio memorata est, prudentia eius ac fides secundum ac tertium virtutis locum obtinent. Illud quoque Palearii proprium in consolationis argumentis, quod expressis verbis Spiritus sancti (v. 10) mentionem facit. Poeta enim, cum anno 1544 ad Lutherum, Calvinum aliasque ecclesiae renovandae principes litteras daret de concilio, quod liberum et universale fore sperabat et cui reges etiam et sapientes viri interfuturi erant, spiritui sancto scite diiudicaturo maxime confidere visus est.

Argumenta deinde, ut fas erat, aliquot, quae Basilii dolorem aliquatenus lenirent, protulit. Ad primum quidem, e consolationibus antiquis hauriens, philosophiam primam attingit. Nam quid naturalius excogitari potest lege ista, qua homines necessario et nascuntur et moriuntur? Sive enim voluit, seu noluit, natus est homo; sic etiam mori necesse est. Quae vero lex naturae, ne nimis crudelis esse videatur, ita mitigatur ut non vita sed mors ostendere viam ad astra, id est ad beatitudinem et libertatem sempiternas dicatur. Quomodo id fieri possit, facile ex ipsis Aonii verbis colligitur. Etenim vita non lux, sed tenebrae, neque libertas, sed carcer vinculum claustrum appellatur. Ergo iterum sententia Neoplatonica seu Ficiniana quae nuncupatur, quam et in *De animorum immortalitate* libris offendimus, nobis obviam venit. Haec cogitatio etiam viam aperit ad humanae vitae infelicitatem. Nec tamen id novisse satis est. Nam Basilii uxor et filiolus prae-maturis mortibus, aetate florentes, abrepti erant. Itaque Aonius facere non potuit quin omnes cogitationes ad ipsam mortem eiusque momentum conferret.

Quare vocem *horam* septies et *tempus* quater in iis versibus invenies. Haec etiam causa poetam impellit ut ab ipso initio consolationis, in primum argumentum, quod de mortis necessitate agit, exitus quoque momentum intercludat. Inde etiam pulchre inter se nectuntur argumenta.

Ut eorum, quae diximus, summam faciamus, persuasum habemus primum argumentum complecti atque comprehendere quaecumque in

⁷ *Ib.*, pp. 152, 153, 155, 156.

reliquo carmine tractantur. In hoc enim iam et de fide (vv. 27 sqq.) et de misera condicione huius vitae (vv. 69-71) et de beatitudine futura (vv. 80 sqq.) et de momento obitus (vv. 29 sqq.) loquitur poeta summatim ea attingens.

Hoc post argumentum (vv. 27 sqq.), ad religionem scriptaque sacra cito transitur. Quid enim? Et Aonius et Basilius Christifideles erant. Aonio quidem exemplum Christi, qui, haud secus ac Basilii uxor, aetate fruens integra, e vita migravit, mire cum re ipsa congruere videbatur. Bene igitur demonstratur quotiens populi furores iuvenem Christum paene interfecerint. Et, ni fallimur, poeta, cum dolos patrum ac pontificum addidit, suorum meminerat temporum; nam vehementissime in pontifices invectus erat in eo opere c.t. *Actio in pontifices Romanos eorumque asseclas.*

Accedit quod Aonius huic argumento oppositionem Christi et hominis adiungit: siquidem, ait, divinus Iesus immortalem obierit mortem, aegrum mortalem stultissime atque ineptissime mortem recusare constat. Quod argumentum Lucretius quoque in libro tertio, cum inventores heroas philosophos et ipsum Epicurum cum homine ‘*improbo*’ contulit, musaeo lepore contigerat summo et ad efficacitatem subvexit summam. Quem Aonius secutus⁸, magnitudinem Christi copiose illustrat et vilitudinem hominis demonstrat. Nam quo maior Christus, eo maior mors, quae etiam Christum vicit; quo humilior homo, eo ineptior aeternum vivendi cupiditas.

Christus itaque et summo loco, quo natus erat, et rebus gestis et domo maximus est (*unigena ex adyto stellantis Olympi*, v. 29; *divinus*, v. 45; *natus patris*, v. 49; *fundentem oracula*, v. 36; *nova miracula rerum magnarum edentem*, v. 37; *crux salutis*, v. 43; *magni trans moenia mundi*, v. 46; *super aethera*, v. 47; *caeli super ardua*, v. 49); homo vero servus est (v. 51). Quamque ignobilis sit homo, duplici illo versu callide exprimitur :

“qui nulla dominum superant ex parte potentem,
sed longe rebus sunt omnibus inferiores” (vv. 52-53).

A versu 57 usque Aonius, licet etiamnunc evolvat quemadmodum Iesus mortalia reliquerit, paulatim tamen ad alias cogitationes transgreditur. Basilio enim solacium non ex necessitate mortis, quae et Christum vicit, praebet, sed ex eo, quod Christus rursus mortem ipsam vicit: quid mors sibi velit demonstrare aggreditur.

⁸ Cf. Lucr., 3, 1024-1052.

Ipsam mortem, id est mortis momentum, esse crudelem concedit (cf. vv. 55-56: *horrida mors, crudelia funera*). Sed eadem efficit ut redditus nobis pateat ad patrias sedes caelorum, e quibus Eva nos cum eieisset, in exilium expulit genus humanum. Vita igitur cum poena sit et exilium quasi quoddam, quin amaritudine suffusa sit, fieri non potest. Cogitationem illam et in libris *de animorum immortalitate* copiose evolvit, Lucretium magnam partem imitatus:

Ecquisnam aerumnas, ecquisnam incommoda possit
enumerare, graves hominumque referre labores?
Nascitur infelix homo... (2,427-429)

Nascitur infelix, nec humo se tollere quicquam
aut pede vel dextra potis est, nec repere quoquam... (2,422-423)

Vita hominum dura est et plena laboribus omnis... (2,460)

Conspicuum denique et elegans genus dicendi mihi videtur esse in ultima parte carminis, in qua longissimas periodos offendimus et poeta omnes adhibet vires ut consoletur. Non est cur longe disseramus de usu ac vi litterarum repetitarum (*omnia amaritie aspersa atque addicta labori*, v. 70)⁹, et enumerationis (v. 71), vel de verborum positione (*omnia*, v. 70), de oxymoris verbis vel tetracolis¹⁰.

At animadvertisimus iterum versum illum 86. Haec visio seu phantasma beatitudinis caelestis magnum polliceri videtur:

“utraque perpetuo caelestia bracchia tendens”,
et ultimos versus admiremur, in quis Basili fortitudo iterum laudatur.

Commentariolo finem imponamus, hoc tantum asseverantes, quod Aonius in Amerbachii consolatione carmen mentis suae conforme pepigit. Quod enim ad res propositas attinet, *spiritum sanctum* memoravimus, *cacerem vitae, miseram humanae vitae condicionem beatitudinemque caelestem*. Quibus hic *magnam Christi mortem* subiungimus, cuius de momento Aonius in libro eheu deperdito egit qui *Della pienezza, satisfazione et sofficienza del sangue di Cristo* inscribebatur.

Quod vero ad poesin attinet, insignia multa ac notas offendimus quibus insigniti sunt *de animorum immortalitate* libri, eadem dico verba, easdem locutiones, verba repetita, oxymora, oppositiones, tricola, etc. Ac nobis quidem in senariis pangendis Aonius semper vir

⁹ Cf. etiam v. 76: *cupiamus pendere poenam*
⁶⁹: *experi ioribus moralia*.

¹⁰ Cf. supra, p. 203 et 205 adnotatiuncularum.

Lucretianus fuisse videtur. Etenim, e poeta epicureo plurimas locutiones hausit; immo, si numerum ipsum proprius aspiceris, frequentes animadvertes *elisiones*, *graviorem numerum* et, ut alia praetereamus, *ultimos pedes Lucretianos*¹¹.

2.

*DE IGNORATO QUODAM AONII PALEARII
VERULANI EPIGRAMMATE*

Mense Decembri anni 1529 Nicolaus Phoebeus (Italice Niccolo Febeo) opusculum *De syllabarum quantitate inscriptum* Senensibus typis excudendum curavit, in quo (chart. 21^v) epigramma laudativum Aonii Palearii legitur. Quod epigrammation nuperrime detexit Leo Kosuta¹, nos autem hic iterum edidimus castigatum. Textum de prompsimus ex exemplari quodam Senensi², in bibliotheca publica Senensi servato numeroque R. VI. 14 insignito:

Quisquis de numeris novum libellum inspectas, pater eruditionum quem Phoebeius edidit Latinis, scito de numeris fuisse multos qui leges dederint, sed hunc libellum quem sacrae ex gremio abstulit poesis tantum iis omnibus esse praferendum, quantum Thespiares peritiores versis ridiculis novem puellis, et Phoebus pater omnibus poetis ³ .	5 10
--	---------

³ Phoebeius scripsi metri causa (confer *Ov.*, *Met.*, 2, 545; 15, 742, etc.), Phoebeus liber.
⁸ Thespiares scripsi, Thespiares liber.

¹¹ V. 14: se nesciat esse.
16: non attinet ad nos.
20: ire necesse est.
27: agier vis.
58: aspera quae sit.
69: novimus esse.
78: quisquam esse putasset.

¹ Cfr. L. Kosuta, "Aonio Paleario et son groupe humaniste et réformateur à Sienne, 1530-1546", *Lias*, 7 (1980), 3-59.

² Senensis bibliothecae praepositis pro missa nobis pellicula photographica gratias habemus.

³ *Thespiares*, i.e. deae Musae; *novem puellis*, i.e. Pierides; videsis Ovidium in Metamorphoseon libro quinto, vv. 250 sqq.: Pieri novem filiae cum deabus Musis certamen inierunt volucrumque formas acceperunt. Quae sit vera poesis adumbratur.

Animadvertenda etiam paronomasia (pater – Phoebus pater – Febeo!).

Quod epigramma ideo non spernendum esse iudicavimus, quia omnium primum esse videtur opusculum ab Aonio publici iuris factum.

Exeunte anno 1529 Perusiae versabatur Aonius, domi Ennii Philo-
nardi, olim praesul Verulani, tum vero Perusini. At iam cum Romae
versaretur Palearius, Senas ire constituerat in urbem studiis florentem :

Audio in Hetruria florere bonas artes, nihil est quin
recta proficiscar Senas... (*Ep.*, I, 4)⁴.

Hocce epigramma hendecasyllabis exaratum est. Quos quidem pedes Aonius noster, Catullum dubio procul imitatus, saepius adhibuit; hoc enim metro constat epigramma ad Cosmum ducem Florentiae Senarumque⁵ datum et carmen consolatorium de Bogino, viro poetae amicissimo, morte correpto⁶. Catullum esse secutum Aonium ex eo patet quod epigrammatista in versibus conscribendis primos pedes non semper spondiacos reddit (v. 7: *tāntum iis*) neque elisas spernit syllabas (vv. 6-7) quodque Catulli meminisse videtur versuum (v. 1 cfr. *Cat.*, 1,1 *Cui dono lepidum novum libellum* et v. 2 cfr. *Cat.*, 21,1 *Aureli, pater esuritionum*). Ceterorum autem epigrammatum ab Aonio eo metro pactorum primi pedes semper spondiaci sunt.

Sunt etiam aliqua Palearii propria poeseos hoc in epigrammate, repetita verba dico (vv. 1, 4 *de numeris*; vv. 1, 5 *libellum*; vv. 2, 10 *pater*) nec non et usurpationem vocabulorum *multus* (v. 4) et *omnis* (vv. 7, 10), quae totiens *De animorum immortalitate* poema legentibus occurrunt⁷.

⁴ Aonii Palearii Verulani *Epistolarum libri IIII*, eiusdem *Orationes De animorum immortalitate libri III* (...), Lugduni, apud S. Gryphium, 1552, p. 14.

⁵ Aonii Palearii *opera* (...), Amstelaeadi, apud H. Wetsteinum, 1696, p. 640.

⁶ Codex Florentinus Riccardianus 2975, f. 42^r-42^v. Cfr. A. Della Torre, "Una lettera e sette poesie inedite di Aonio Paleario", *Rivista Cristiana (di Firenze)*, N.S., 1, 1899, 131 sqq. (editionem quam Della Torre curaverat, vide non potuimus).

⁷ Repetitionis in hendecasyllabis alterum est insigne exemplum :

Fortunat senex, quiesce in urna,
princeps unice liberalitatis.
(de morte Bogini)
norint, quam bene saeculum beasti,
princeps unice liberalitatis.
(ad Cosmum Medicem)

3.

*EMENDATIONES PALEARIANAE*1. *Litterae Aonii Palearii ad Theodorum Zwingerium anno 1566 datae*

Est haec epistula maximi momenti, cum senescentis Palearii animum bene indicet et opusculum c.t. *Actio in pontifices* (...) ab Aonio scriptum esse probet.

Eam epistolam edidit S. Caponetto, *Aonio Paleario (1503-1570) e la riforma protestante in Toscana*, (Studi storici), (Torino, 1979), pp. 227-229.

Contulimus editionem cum codice Basileensi Fr. Gr. II, 14, ex quo textum deprompserset Caponetto. Haec autem emendentur :

p. 227 *tit. lege* S.D.

p. 228 *lege* ob rumores

lege Quod vero mihi laudas Sulcerum

lege Quae ista (malum) esset amentia

lege flaccescerent

lege de improviso

not. 4 (in margine) *lege* tempore

not. 4 (in margine) *lege* Basiliensi

not. 4 (in margine) *lege* depositariis

not. 4 (in margine) *lege* si erit senatus

p. 229 *lege* exspectatione concilii

lege accedet

lege ita in animum inducas

lege Interea vero amemus

lege certemus.

Adde inscriptionem cursualem :

Theodoro Zwingerio Basileensi medico et philosopho nobilissimo Basileae.

2. *Litterae Aonii Palearii ad Guarinum anno 1566 aut 1567 datae*

Haec etiam epistola maioris est momenti, in qua Aonius edixerit occasionem Inquisitioni in se vindicandi datam quidque de novissima editione operum suorum sentiret enuntiaverit.

Duae epistolae inter se fere similes ab Aonio datae sunt Guarino ut altera saltem Basileam perferretur. Quas in lucem edidit G. Morpurgo, *Un umanista martire. Aonio Paleario e la riforma teorica italiana nel secolo XVI* (Città di Castello, 1912), pp. 155-156.

Haec autem emendentur :

p. 155 *lege* excusationi
 iota
 librorum
 numorum
 in depravatum
 p. 156 *lege* accurrat
 apud quas
 post aliquot annos
 divenditis
 istis libellis (totis *expungendum*)
 in quo vel
 inscriptione
 perferretur
 ex illo folio primo
 folium primum sine illis
 qui in Italiam allati sunt
 refert, utro cum folio sint.

Duo huius epistulae exemplaria praeter adnotationem quandam similes esse inter se asseveravit G. Morpurgo. Animadvertantur vero hae variae lectiones.

(1 : Basil., Univ. Bib., G I 66, 123)

(2 : Basil., Univ. Bib., G I 66, 124)

1: duo et viginti	2: tres et viginti
uno etiam ... respondeat	<i>omisit</i>
dono ego te	ego <i>omisit</i>
habe	<i>omisit</i>
ac	<i>scr. sup. 1.</i>
si	<i>ante tuo commodo posuit</i>
persuade ... paratum	erit tibi omne promptum et paratum
Mediolani	Vale <i>praemisit</i> .

3. *Litterae Aonii Palearii ad uxorem filiosque datae (Roma, 3.VII.1570)*

Duae epistulae ab Aonio paucis horis ante horrendam mortem datae sunt. Quae servantur in Bibl. Publica Senensi, ms. B.X.8, c. 205^r. Eas nuper S. Caponetto, *o.c.*, pp. 162-163 critice in lucem edidit, Iosephi Morpurgo editione (*o.c.*, pp. 176-177) non paucis locis correcta. Haec vero emendentur :

p. 162 *lege* charissima
 lhora
 honoratamente
 Giesu Christo
 il di III

Phedro
 lultimo
 permetton (*uti Morpurgo scr.*)
 parera
 volunta di di dio (*sic!*)
 havete
 diligentia
 faculta che havete
 p. 163 *lege* E.^{tia} (*uti Morpurgo scr.*)
 allocare (*uti Morpurgo scr.*; allevare *expungend.*)
 dara
 gratia
 Aspazia
 lhora
 gratia
 il di III

4. *Litterae ab Aonio discipulo cuidam datae (Luca, 9.XI.1552)*

Haec epistula, servata in Bib. Publica Senensi, ms. B.X.8 c. 198, opere ac studio Iosephi Sforza publici est facta iuris et legitur in commentariis q.t. *Giorn. stor. della lett. it.*, 14 (1889), p. 70. Haec emendentur :

lege Molto virtuoso e gentile Mr Nicoló
 avertí
 una lettera dal
 licenza (*e corr. scr.*, *licentia a. corr.*)
 con esso me
 raccomandatemi
 Nicoló Beltramini
 il di IX
 (*inscriptionem cursualem*:) M. Nicoló Savolini scholare
 ⟨Pis⟩ ano
 Á Pisa
 Nicoló

5. *Litterae Amerbachianae*

1) *Aonius Petro Victorio de Basilio Amerbachio (Mediolano die 3 mensis Apr. anni 1556)*

Eam epistulam, in bibliotheca Athenaei Basileensis servatam (cod. G. II, 31, f. 360), anno 1979 primus edendam curavit S. Caponetto, o.c., append. 4, pp. 223-224.

Haec autem emendentur :

florentissimam *cod.*, Florentissimam *ed.*
 sit, quam ego *cod.*, si ego *ed.*
 et lux (*post studiorum scriptum*) *om. ed.*
script. gentilhuomo *cod.*, gentiluomo *ed.*
 Fiorentino *cod.*, fiorentino *ed.*

2) *Aonius Basilio Amerbachio (Mediolano die 3 mensis Apr. 1556)*

Eam epistulam, ibidem servatam (fol. 362), anno 1912 edendam curavit G. Morpurgo, *o.c.*, p. 147. Haec autem emendentur:
tit. eccellente *cod.*, excellente *ed.*
raccomandatione cod., raccomandazione *ed.*
al vostro piacere e comando post 1556 scribendum
Paleari cod., Paleario *ed.*
script. Al nobilissimo giovane Signor Basilio Amberbachio scholare *cod.*,
 Signor Basilio Amerbach scolare *ed.*

3) *Aonius duobus amicis Senensibus (Mediolano, eadem die)*

Eam epistulam, ibidem servatam, fol. 356, anno 1912 G. Morpurgo in lucem edidit, pp. 147-148. Haec autem emendentur:
script. A Siena *cod.*, in Siena *ed.*

4) *Aonius Francisco Michaeli (Mediolano, eadem die)*

Eam epistulam, ibidem servatam (fol. 358), anno 1912 Morpurgo publici fecit juris, pp. 148-149. Haec autem emendentur:
la lettera cod., le lettere *ed.*
Amerbachio cod., Amerbach *ed.*
raccomandandolo cod., commandandolo *ed.*
il di III di Aprile cod., il di 11 di Aprile *ed.*
script. Messer Francesco *cod.*, Francesco *ed.*

5. *Aonius Basilio (s.l., s.d.)*

Haec emendentur in editione Iosephi Morpurgo p. 149:
Bartholomeo Or cod., Bartholomeo Orelli *ed.*
si qua cod., si quae *ed.*
itidem cod., ibidem *ed.*
 29 Junij n° 61 *not. al. man., om. ed.*

6) *Aonius Basilio (Mediolano, tertio Nonas Novembris s.a.)*

Haec emendentur in editione Iosephi Morpurgo pp. 149-150:
Bartholomaeus cod., Bartolomeus *ed.*
Mediolano cod., Mediolani *ed.*

6. *Litterae ab Aonio Vespasiano Gonzagae datae (anno circiter 1567)*

Contulimus Salvatoris Caponetto (*o.c.*, pp. 225-226) editionem cum codice manu scripto 853 (pp. 22-25) Bibliothecae Estensis. Haec emendentur:

p. 225 *lege* S.P.D.

praestitisti
aeque (*ut coni. Bandinius*)
cognoverit
sic multis
solet esse
torminibus

p. 226 *lege* secum

vi morbi
quae (malum) invidia est
eorum qui
etsi fortissimus
chariorem
prospectas.

7. *Litterae ab Aonio Desiderio Erasmo datae (Senis, die V mens. Dec. 1534)*

Contulimus Salvatoris Caponetto (*o.c.*, pp. 221-214) editionem cum codice Patavino (Bibl. del Seminario, cod. 71, ff. 36^v-41^r). Haec emendentur:

p. 214 *lege* abbates quos vocant

in concilia admittendi
quaestum.

8. *Aonii carmen ad Carolum V*

Contulimus editionem Petri Lazeri (*Pontificum Romanorum epistolae XXX saec. XIII scriptae. Aonii Palearii epistolae XXV (...)*) *Omnes ex codd. mss. Bibliothe. Collegii Romani S.I. nunc primum editae* [Romae, 1758], pp. 182-184) cum codice H 79 inf. Bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis (f. 24^r-24^v), quem scriba Collegii Romani descripserat. Haec emendentur:

p. 182 *lege* tunc

fulgentibus armis
astabas
quoties (*ita bis corrigendum*)

p. 183 *lege* vincta (*capta expungendum*)

Amphitrione.

9. Aonii oratio Tusca

Contulimus editionem G. Arrighi ("La provincia di Lucca", 9,3 [1969], 62-66) cum codice manu scripto Lucensi (Bibl. statale di Lucca, cod. 858, sine foliis). Haec emendentur:

- p. 62 *lege* passata
havendi
delle buone lettere: degli ottimi (studi?) *ante corr.*
- p. 63 *lege* cupidigia
uffuci (*sic*)
delle arti
di ingegno
secondo
- p. 64 *lege* moderatori
intendera
Dialettica
- p. 65 *lege* il grido delle lettere: delle buone lettere *a. corr.*
schuola: scuola *a. corr.*
de buoni
appo: appo esso di *a. corr.*

Leuven, Kath. Universiteit
Seminarium Philol. Human.